

numerus hic residuus per diuisorem iam inuentum nimirum per differentiam errorum, diuidatur, dabit Quotiens numerum quæsitū, qui quæstioni propositæ satisfaciet.

Qñ vna  
positio ve  
ritatem  
excedit,  
& altera  
deficit, fit  
additio.

Si vero in alterutra positione à veritate aberratum est per excessum, & in altera per defectum, colligendi erunt duo errores in vnam summam, vt habeatur diuisor: Similiter duo illi numeri, qui ex multiplicatione numerorum positorum per errores, vt dictum est, producuntur, in vnam summam sunt colligendi, vt habeatur numerus diuidēdus, &c. Id quod ex quæstionibus fiet perspicuum.

Quæst. n.

I. Quæatur numerus, à cuius dimidio subtrahā  $\frac{1}{3}$ . &  $\frac{1}{4}$ . relinquantur 300. Ponatur numerus 24. qui nimirum habeat partem  $\frac{1}{2}$ . in quæstione expressam, & eius  $\frac{1}{2}$ . alias partes expressas, nempe  $\frac{1}{3}$ . &  $\frac{1}{4}$ . contineat, vt fractiones, quoad fieri potest, vitentur: qui quidem numerus facile inuenietur, si numerus sumatur habens posteriores fractiones, & is postea duplicetur. Solet autem numerus hic primo acceptus poni ad sinistram in superiori parte crucis, & error in parte inferiori ad sinistram quoque, litera denique P. vel M. prout veritatem excefferit error ille, vel ab ea defecerit, in medio crucis ad eandem sinistram: Secundus vero numerus acceptus cum errore, & littera P. vel M. eodem ordine collocari solet ad dexteram eiusdem crucis, vt in nostro exemplo factum esse vides. Hic numerus 24. positus ita iuxta pronunciationem quæstionis examinabitur. Eius  $\frac{1}{2}$ . est 12. à quo